

*Tragopogon orientalis.* *Sp. pl. ed. Willd. III. p. 1493. n. 4?*

In collibus Iberiae australis ad rivum Dsegam.

Dubie admodum hanc speciem propono. Planta enim sub nomine *Tn. orientalis* in hortis culta quae cum sibiricis specimenibus bene congruit, omnino alia. Nostra vix *spithamaea angustifolia*, corollae radii subtus fusco striatae, antherae fuscae; illa vero pedalis et ultra, foliis quam in reliquis speciebus plerisque latioribus, radio corollae subtus antherisque luteis. His ultimis notis convenit cum descriptione *Linnaei l. c.* sed *synonymon Tournefortii* expresse requirit folia angusta. Hortum *upfaliensem* ad manus non habeo ut iudicare queam.

*Scorzonera lanata.* *Marschall taur. cauc. n. 1574.*

Circa *Derbentum.* Junio.

*Sonchus albanus.*

*S. pedunculis squamatis calycibusque glabris, floribus corymbosis, foliis ovatis subulato-dentatis, superioribus basi cordatis subsagittatis, infimis lyratis.*

Ad rivulos caucasi orientalis sub alpe *Schahdagh.* Junio 24

A *S. Sibirico* qui in *Sibiria* et circa *Petropolin* nascitur (*causicum* enim et *tauricum* non vidi) differt floribus duplo majoribus, calycis foliolis obtusiusculis viridibus (nec subulatis purpurascensibus), foliis ovatis crebre denticulatis (nec lanceolatis subintegerrimis). Flores pallide coerulei.

*Prenanthes tuberosa.*

*Prenanthes hispida.* *Marschall taur. cauc. n. 1592.*

In silvis Iberiae australis versus fontes fluvii *Akstafa.* Flor.

Aprili.